

oxygenio, quod aqua ante ex aëre hauserat, aliquid expellitur: nam hydrogenio, ex aqua non ante decocta seorsim ad polum negativum collecto, oxygenii aliquid admixtum inveniebatur, cum contra in aqua ante decocta merum gaz hydrogenium circa hunc polum appareret. Haec irregularitatis causa non plane amoveri posse videtur, ita tamen minui, ut mensuram modice exactam non excludat. DAVIUS enim aquam, quae jam ante experimentum oxygenio saturata erat, adhibendo, et ita solutionem oxygenii ex aquae decompositione oriundi praeventendo, assecutus est, ut gazorum ad utrumque polum seorsim collectorum relatio volumine esset ut 27 ad 37, quod non multum differt a relatione legitima 1 : 2, nec tamen exacte eam aequat. Non liquet, unde parvus hydrogenii, quod purum fuisse DAVIUS perhibet, excessus originem traxerit, nec magis liquet, cur ex aqua oxygenio saturata nihil oxygenii se hydrogenio admiscuerit, cum tamen id in aqua, aërem continente, observatum fuerit.

FARADIUS pro aqua pura aquam acido sulphurico mixtam adhibens, parum molestam istam, de qua agitur, irregularitatem expertus est (Pogg. Ann. XXXIII. 525.) et ejusmodi, quae per comparisonem duorum vel trium experimentorum facile corrigi posset. Imprimis commendat acidum dilutum pondere specifico 1,556, quippe ex quo omnium frequentissime legitima proportio oxygenii et hydrogenii exstiterit, simulque major quantitas, quam ex inferiori ullo concentrationis gradu, cum contra in magis concentrato acido oxygenii non parum elaberetur, ut videtur, formando aquam oxygenatam absorptum. Ceterum errorem, ab oxygenio consumto timendum, facile etiam eo evitare licet, ut nonnisi hydrogenium collectum mensurae adhibeatur.

In metiendo gazorum volumine etiam barometri et thermometri rationem habendam esse, vix admonitione eget. Quae correctio cum communis sit cum vulgaribus chemiae operationibus, hic accuratius a me non exponetur.